Casim.

Podgurski Samuelis Ioannis: Obligatio honoris virtuti et eruditioni — inscripta.

OBLIGATIO HONORIS,

VIRTUTI ET ERUDITIONI,

Perillustrium, & Admodùm Reverendorum Dominorum,

D. M. PAULI ZONTAKIEWIC,

PHILOSOPHIÆ DOCTORIS, ECCLESIARUM, COLLEGIATÆ TARNOVIEN: CUSTODIS, PAROCHIALIS DOBRZECHOVIENSIS CURATI, &c.

D. MARTINI CASIMIRI CZECHANOWIC,

COLLEGIATÆ SS OMNIUM CANONICI, ET AD S. STEPHANUM CRAC: PRÆPOSITI, DECANI PROSSOVICEN: CURATI WIECŁAVICEN:

Pridem in foro benemeritorum

INSCRIPTA,

AC DUM

In Alma Universitate Cracovieñ:

SUB EXIMIA PROTECTIONE,

CELSISSIMI AC RNDISSIMI PRÆSULIS AC PRINCIPIS,

D. JOANNIS

DE MALACHOWICE

MAŁACHOWSKI,

DEI, & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ,

EPISCOPI CRACOVIEN: DUCIS SEVERIÆ,

Almæ Universitatis Cracoviensis,

CANCELLARII FAVENTISSIMI.

Sub

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,
Magnifici, Perillustris, & Reverendissimi Domini,

D. M. SEBASTIANI PISKORSKI,

V. J. DOCTORIS, & PROFESSORIS,
ECCLESIARUM, CATHEDRALIS CRACOVIEN: & COLLEGIATARUM VIELUNEN: CANONICI, SS. OMNIUM ARCHIDIACONI, SCHOLARUM NOVODVORSCIANARUM PROVISORIS,
ALMÆ VNIVERSITATIS CRAC: PROCANCELLARII DIGNISSIMI,
EIUSDEMQ; GENERALIS & VIGILANTISSIMI
RECTORIS,

A

Perillustri, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. ANDREA KRUPECKI,

V. J. Doctore & Professore, Collega DD. JureConsultorũ,
Ecclesiarum, Collegiatæ SS. Omnium CUSTODE,
Paræcianæ Luborzycen: CURATO,

Præsente frequentissimâ Magnorum Hospitum,
& Ordinum Academiæ Coronâ,
RITU SOLENNI,
VTRIUSQ; JURIS DOCTORES RENUNCIARENTUR,
ad effectum
DEDVCTA,
& PER
M. SAMUELEM JOANNEM PODGURSKI,
Philosophiæ in Vniversitate Crac: Doctorem & Professorem, Collegam Minorem, Sacrâ Authoritate Apostolicâ Notarium Publicum,
Ex Protocollo officiosi cultûs in Publicam lucem

EXTRADITA ET PRODVCTA.

Anno obligati humanitate Verbi, 1695. Die 25. Januarii.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

OBLIGATIO HONORIS,

Virtuti & Eruditioni.

VBi primùm tellus cepta coli,
Stricti Iuris vinculo, Honor Virtuti obstrictus est.
Ex quo Astræa Virgo, de Cælo prospexit;
hâc lege mortales obligavit.
Hoc edictum, ante Iovem tulit, Superûm Prætor;
Vt Virtus & Honor, æterno nexu jungerentur.
Senatus Populusq; Cælestis,
Eburneas tabulas, hâc de re, æternûm confirmavit.
Nulla est tàm barbara Barbaria,
quæ hanc legem cælitùs rogatam, præsumeret abrogare.
Quascunq; gentes, Arbiter lucis videt,
Nullis rescindere vel infringere, Sanctam hanc licuit sanctionem.
Si verò fatigas responsa Themidis,
si colorem Iuris, in hac obligatione, acutiùs scrutaris?
Noveris esse, Naturalem, Prætoriam, & Civilem.
Suprema viventium & non viventium Parens,
hâc obligatione, ordinem in ordine Vniversi constituit.
Nam, *vbiq; naturaliter Virtus honore coronatur.*
Solem in solio, augustioris cæli, eminere miraris?
ol summam Virtutem lucis, Principem esse noveris.
Adamantem gemmarum antesignanum æstimas?
at hoc pretium, excellentior qualitas indidit.
Aurum in ordine metallorum,
eâdem lege principatum obtinuit.
Inter volucrium turmas,
eadem vis, Aquilam Iove dignam effecit;
Leonem animalibus præfecit.
Adeo quidquid præstat virtute, præstat honore.
Porrò Divinitatis ectypos, quia liberos, mortalium animos perpende.

Omnes

Omnes, pacto Virtutis & dignitatis obstringuntur.
Gentium Areopagos adi, & audi:
quomodo publico edicto, Virtutibus honor decernitur.
Attende, quod ex fastigio Capitolij,
Magnus Vrbium Reginæ Consul, enunciat oraculum;
Honor Virtutis prœmium esto, studio,
judicioq; Civium in aliquem delatum.
Huc Senatûs consulta, Plebiscita & Decreta Magistratûs collimant;
Vt Virtutis & Honoris obligationem confirment.
Illud nutantis Romæ fulcrum,
in pænam Pænorum grandis Scipio,
Cur Siphacem & Hannibalem invictâ fortitudine pressit?
Quia se illi honor, ad triumphum obligavit.
Novus in Gallia Hercules Cæsar,
ideò meritorum auream catenam, decennio nexuit,
vt quinquies triumpharet.
Ducebantur ante essedum triumphale, victæ & vinctæ,
Gallia, Pontus, Alexandria, Africa, Hispania,
Sed Virtus anteivit.
Nunquam commodiùs Commodo fuit, os populi meruisse;
quàm dum triumphatus Alemanus,
se, velut alæ, manus, in currum aureum sustulisset.
Papyrij Cursoris fama,
quia in annalium papiris, hactenus non deficit,
solidus virtutis character effecit.
Ductus ille albis in Capitolium equis;
Nam vincens Corsos, mensus est celsitudinē suam, in monte Albano.
Traxerunt Pompeios in curribus iuga elephantum,
sed postquam Africæ iuga peragrarent.
Præferre aureos montes cum pompa licuit,
cum saxeos superarent.
Ostentare ex puro obryzo confectas vites concessum est,
sed superatis vitæ periculis.
Non negatum, quadraginta, dextrâ, lævâq; gestare lychnos,
sed prius, inter glomeratas Martij pulueris nubes,
invicti animi splendor, micare debuit.
Tres Curules Triumphos Augusto egisse,

adi

ad invidiam seculorum gloriosum,
Sed ad hos per centum vitæ discrimina, itum est.
Cunoni & Evagoræ,
prope Iovis Statuam simulacra, posuistis Athenæ?
Quid homines Dijs miscetis superis?
Quia Virtus, terrarum Dominos evehit ad Deos.

Ita Statua,

Demosthenem etiam post fata superstitem loquitur,
Nam *Honor perpetuus, virtutis præco est.*
Post communem lapsum in tumulum,
Stetistis in statuis vestris,
Divini Platones, Homeri, Gorgiæ Leontini, Isocrates,
manus enim Honoris aureæ, Virtutem Vestram fulciuerunt.
Adeo honor virtutem sequitur, vt solem vmbra.
Firmata vtriusq; æterno pacto societas,
magis quàm Pilades & Orestes dividi nequeunt.
Ciuilis hæc obligatio est,
Quia nihil est magis Ciuile, quam bene meritis,
honores tribuere.
Hanc legem obligationis, hodiernus efficaciter exequitur honos,
quam in foro bene meritorum pridem Vobis inscripserat,
PERILLVSTRES & ADMODVM RNDI DOMINI
V. I. LICENTIATI.
Nominato hodiè Contractu, Themidis augusta Sedes,
purissimo Possessorio retinenda Vobis traditur.
Concessionem, an cessionem ejus Laureæ sumitis,
quæ aureis Regum Coronis suppar est.
Sacratissima enim Iurisprudentia,
Imperantium non assistrix tantùm, sed assestrix est.
Per eam Reges regnant & Principes iusta decernunt.
Quidni ergo Fratres hujus augustioris Helenæ, gemina sidera,
totum Helicona in plausum excitetis?
Salue valeq; diu primum in Astrææ sublimitate astrum,
Perillustris & Admodùm Reuerende Domine.

M. PAVLE ZONTAKIEWIC

Philosophiæ Doctor, Ecclesiarum Collegiatæ
Tarnoviensis Custos, Paræcianæ Dobrzechoviensis Curate &c.

Tibi jure merito honor obligatus est.
ad cujus Augustale Regiâ Virtutis viâ properè & prosperè ivisti.
Tecum crevit ne dicam nata est,
Colophonijs gravior ad honores promotrix, probitas.
Primum ejus suffragium vt in cunis Alcides nactus es,
cum illustris illa, non vno pullo musarum Vmbria,
Kantensis Civitas,
Te in publicam lucem ediderit.
Locus ille Delo & Cretâ felicior & sanctior jure censendus,
ex quo tot Cynthij Nostrum Parnassum illustrantes prodiere.
Vidimus ex hac Ida, etiam nostra ætate magnos ingenio Ioves,
ex quorum erudito capite non vna Minerua nata est.
Sed Tibi vt ad encomium ita ad imitationem,
Vnus pro mille suffecerat, Phæbus Academici orbis
BEATUS JOANNES CANTIUS,
Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor.
Hunc Tu vt Heliotropium secutus es.
Ad hanc enim Sphæram, per quam Ille diviniori Intelligentia motus,
Splendore vitæ suæ omnia illustrabat, ocius impulsus es.
In tanti exempli meridie,
quis Te filium lucis, in ipso ortu inchoati studij non vidit?
Quoties in Academico Cælo,
ad motum primi mobilis mouebantur minora sidera,
toties par majoribus astris, in motu tantum quiescere didicisti.
Nec mora nec requies vlla, Tibi persuaderi poterat,
qui cunctationi inimicus, celerem profectum anhelabas.
In tanta nihilominus ingenij celeritate,
nunquam erraticum sidus extitisti.
Cælo virtutis affixus, regularem eruditionis motum seruâsti.
Omnis scientiæ lucis capacissimus,
ex orbe Novoduorsciani Apollinis, vt melius splenderes,
ociùs transferri debuisti.
Aliorũ capacitas, vnius Scientiæ magnitudine impletur, si non obruitur.
Tui ingenij vastitas, quoddam Scientiarum Vniversum est.
Microcosmum cum Te cognoueris,
semper Archetypo conformatus es.
mirandus in Te Superiorum & inferiorum Scientiarum ordo,
cum

cûm ex quacunq; interrogatus, non eras vt Baldus respondisti.
Ministra scientiarum alijs refragaria, quia spinis suis pungens,
Tibi ad amussim facilis.
Multis obserata difficultatum claustris, Physices arcana;
Tibi velut centum Thebarum portis patent.
Metaphysica, pluribus antequam sciatur metam ponit,
Tibi Herculeum plus vltra.
Ethicæ moribus jam Professor eras, antequam profitereris.
Civilis Doctrinæ vltro gnarus,
quia Te exactissimis vitæ regulis gubernans,
Solonem animi Tui demonstrabas.
Laureata, gemino diademate
tanta virtus & eruditio, Chrisippos & Socrates superauit.
Per Tullij & Stagiritæ exedras, nunquam non oracula fudisti.
In publicis philosaphantium Olimpys,
sine fastu & ruga, Victor palmam receperas.
Lene & tractabile ingenium, licet sublimium capacissimum sit,
Voces tamen vel mores fastuosos, vti male transcendentes,
speculari noluit.
Hinc seruauit Tibi bonæ fidei Contractum
Inclyta Facultas Philosophica,
cum Te Togato Senaculo suo, vt gemmam annulo inseruisset.
Cæterùm hic honoris Tui Philosophici ingens honor erat,
quod non Tibi tantùm sapere didiceris.
Plures sapientiæ gloriam suâ desidiâ extinguunt:
Dum in specu cum Cinico stertunt,
eruditionis palmam inglorie obruunt.
Apricum nempe sapientia poscit,
Crisi & calculo Magnorum Virorum expolita,
magis splendet.
Thesaurus absconditus neminem ditat.
Gemma consepulta fluctibus Ærythræis, pretio caret.
Imò oraculum cæleste terret, dum ait:
Vapulâsse seruum qui defodit talentum.
Immunis ab hac censura, & solitudine ignaua, eruditio Tua.
Ante vitam Te sepelire nolens, publicam Poloni Orbis lucem petijsti.
Magnorum Heroum erudiendis Ascanijs datus,

 plures

plures Macedones Orbi Sarmatico excoluisti.
Quam obligationem non præstitit, in pensum laborum Tuorum
Illustrissimus & Magnificus Dominus
VLADISLAVS ZALESKI.
Succamerarius Lanciciensis &c. &c.
Verus enim Stagirites,
Partes viscerum eius ALEXANDRUM & STANISLAUM,
ita scientiarum varietate exornâsti,
vt celsissimis Curulibus dignissimi extiterint.
Magni ingenij Tui limâ,
KORICINIANAM ASCIAM ita expoliuisti,
vt nisi fata inuidissent,
ad eius splendorē, velut ad parmā Persei Gelones obriguissent.
Illustrissimi ROIEWSCIORVM sanguinis gemma,
hodiè Regibus Regnoq; in pretio & delicijs est,
cui Tu nitorem sapientiæ Tuæ addidisti.
Porrò vt Laureatos magis redderet labores Tuos,
Magnus Lechiæ Cato,
Illustrissimus & Magnificus Dominus.
IACOBVS de Roiow ROIOWSKI, CASTELLANVS
WISLICIENSIS &c.
ad Magni Christi Herois, S. LAVRENTII Ædem, Te præsentauit.
Didiceras iam Magne Mysta Laurentij Zelum,
ergo Te Custodem Inclyta cooptat Tarnouiensis Collegiata.
Ad geminum illius Astrum,
Tu Astrææ Cultor integerrimus, adsciscì debueras:
Vt Noua Intelligentia, pietate Tuâ & eruditione illud moueres.
Mutet iam Nomen Tarnouia,
Cùm Tu omnia suauiter disponens, nihil spinosum præteferas.
Te vigilantissimo Custode,
Ex suis vepretis, fugiunt efferatæ morum belluæ.
Pro Tribunali, Surrogatus causarum Arbiter;
Librâ Phocionis iustiùs, merita partium perpendis.
Legum Canonumq; ex asse peritus, ita viuis;
Vt ipse Canon omnium virtutum & regula vitæ sacerdotalis fias.
Hanc scientiæ & conscientiæ rectitudinem
affectu & effectu probauit in Te
Iuris

Iuris Aureus Tripos,

Perillustris & Reuerendißimus Dominus

M. PETRUS STANISLAUS ORŁOWSKI V. I. D.

Canonicus Cracouiensis, Præpositus Infulatus &

Officialis perpetuus Tarnouiensis &c.

Celsißimi Principis, Illustrißimi & Reuerendißimi Domini

D. JOANNIS de MAŁACHOWICE

MAŁACHOWSKI,

Episcopi Crac: Ducis Seueriæ, Generalis Causarum Auditor.

Cûm Tibi arduum visitationis munus, commiserit;

Vt Argo oculatior, omnia perspicias.

Ita in Cordibus Cleri populiq; triumphas;

Vt quidquid volueris sacer Cyneas, persuadeas.

At Tu nihil in votis habens,

quàm vt Te Custode, procul scelerum grex fugiat:

Nunc tonitrua Periclis torques;

nunc Isocratis lenitate demulces.

Ducis volentes, nolentes trahis, Diuino more.

Zelus ergo Domûs DEI,

Omnium virtutum in Te fastigium est.

Hunc cum Thesbite vitâ præfers.

Nullum Achabum & Iezabel formidas.

Bella Domini Exercituum, inter mille casus & pericula,

gerere non recusas, vt Ecclesia stare posit.

Dilectio Decoris Domûs DEI,

Verè in *Te fortis est vt mors.*

Nullus eam respectus, nulla erogatio vincere potest.

Sacros Diuorum tholos, nouis structuris exornas.

Aræ puluinaribus fulgentes, Ecclesia decorata vt Sponsa,

quid nisi Tuæ in superos pietatis, perpetua sunt monumenta?

Et nonne hæc Tuarum virtutum, stricta cum honore Obligatio est?

Imò hæc altisimarum dignitatum,

non tantum præsagia, sed certisima sunt documenta.

Quod si cætera deessent, (hibebas.

ipsa Capitis reuerentia Cani, quàm vitæ Authoribus liberaliter ex-

Te amplisimo honore coronaret.

C In

In horum Tu, benedictionibus, vt largè serebas,
ita largissimè metis auream honorum messem.
Sed iam à conuersione PAVLI,
ad amplitudinem Nominis Tui conuertitur calamus.
Perillustris & Admodum Reuerende Domine.
MARTINE CASIMIRE
CZECHANOWIC
Ecclesiarum, Collegiatæ SS. Omnium Canonice &
ad S. Stephanum Crac: Præposite &c. &c.
In primo tamen Gloriæ vestibulo arceri videtur Panegyris.
Obligationem quidem honoris, obligata est celebrare;
Verùm velut in labiryntho Theseus, ipsa ligatur & irretitur.
Ad magna enim natus animus Tuus,
Iliadem Homeri, non pagellam hanc exposcit.
Quidquid egisti Iouis suffragio dignum est.
In ipsa iuuentute grande morum senium demonstrabas.
A teneris togam virilem indutus,
Areopagum virtutum in pectore Tuo circumferebas.
Obligari Tibi iam tum debuerat honor,
quia benemeritorum conditiones inpleuisti.
Si enim prima honoris conditio est Musas coluisse;
Tu Phæbi Senatum, totumq; Parnassum, in pectore claudis;
magis quàm Pyrrhus in Achate.
Multos Endymiones difficultatum, quas sibi fingebant Hymæræ,
In medio cursu ad Heliconem, à proposito deterruerunt,
Tu Bellerophon vir innocentiæ,
Pegaso ingenij Tui insidens, monstrorum domitor extitisti.
Domuisti labore comite Centauros,
qui tot Ephoris negotium facessebant.
A Musis Te educatum crediderim;
Qui placido vultu & venerando, moribus comptis, animo constanti,
nihil non Phæbo dignum tentâsti.
Profundum Democriti serutatus in scientijs;
non perfunctoria tractatione Omnium Encyclopædiam assecutus es.
Tuæ sapientiæ contemplantes oracula;
ridemus gentis Pelasgæ somnia.

In Te

In Te Delphos scientiarum, eruditorum mirabantur senacula.
Naturales & supernaturales disciplinas, pectore ita complexus es;
vt natæ simul tecum videantur.
Quoties ex Rationali scientia discurris;
toties multorum rationes triumphas.
In Naturali scientia Naturam supergredi videris.
Suprema scientiarum Præses nullius magis familiaris,
quàm Tuo intellectui.
Capacissimus ille, & seipso maior, etiam Cælestia comprehendit.
Gyrum Cæli circumit, pernicitatem siderum assequitur.
Fuerit sane Heraclito & Cratillo impossibile,
bis eundem fluuium ingredi;
Tu non flumen tantum sed vastissimum scientiarum pelagus penetrasti.
Ignea Columna, Theologia,
quæ electum populum, inter errorum noctes ducit,
Tibi sanctiorem Palæstinam monstrauit.
Terra nempè promissionis, est virtutum cultura,
sine qua, cælestis honoris nemo fit candidatus.
Hoc in Te vt admirandum, ita imitandum Omnium calculi probant;
quòd in tanto scientiæ culmine demittaris.
Eo verè Theologico & heroico facinore,
Te non esse de eorum grege doces,
qui in mirabilibus ambulantes, nil nisi ampullas de se loquuntur.
Currunt Magni vates, in immensis vastæ cogitationis Olimpijs,
sibi tantùm lampada cursu tradentes:
quorum tamen faculæ, non est cælestis origo & entheus vigor:
adeòq; digna est cui inscribatur: *plus fumi quam lucis.*
Inde etiam modestiæ Tuæ cancellos, nullus Tullius non laudaret;
quòd exactis, tot Cleantheis noctibus, honoris diem non quæreres.
Iam onerosas laborum conditiones adimpleueras;
obligatio dignitatis exoluenda restabat.
At Tu merita meritis accumulare non desijsti.
Congenitum esse Indoli Tuæ comperimus;
nunquam ex improuiso ad virtutis apparatum venire.
vana enim ita festinantûm vota, Icaria contentio est.
Pretiosior virtutis & honoris gaza est, quàm Phrygia;
pluribus quàm Iasonis laboribus quærenda.
Sacer hic nexus, quo invicem hæc Magna Numina obligantur,
nunquam venit ex facili.
Rosæ & miricæ, spongiæ & gemmæ, non eodem modo colliguntur.
Immanes fuere Mydæ divitiæ, quia præcoces.
Nunquam per compendia crescunt virtus & honor,
pluri-

pluribus conciliantur interuallis.
Prudens Regina Virtus est.
æternam hanc legem sanxit:
vt expectatio honoris magnæ fiat dulcedinis.
Porrò fuerit decori magni Scipionis legioni,
quòd in triumpho non laureas, sed rosas ostentauerit.
Te augustior Flos, felicius exornavit;
vt post tot ingenij Tui Victorias, Pantheon,
Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Canonicus ingredi mereretis.
Id Tibi præstitit Lydius ingeniorum Lapis,
Flos Antistitum, & Vaveliani Muricis gloria, totus Roseus,
ILLVSTRISSIMVS, & REVERENDISSIMVS DOMINVS,
D. STANISLAUS à SŁUPOW SZEMBEK,
EPISCOPUS DIONISIÆ, SUFFRAGANEUS, CANONICUS, VICARIUS
IN SPIRITUALIBUS, & OFFICIALIS GENERALIS CRAC: &c.
Quod nec Scipio, nec Augustus suis Heroibus præstare potuerunt.
Tantas in Te Virtutes suspexit, hic Amplissimæ Diœceseos Oculus,
vt Tibi Docanatum Prossovicensem contulerit.
Assumpsit Te in partem laboris hic Atlas,
quoniam novit, Te MARTINUM, ad extrema fata, non recusare laborem.
Addidit Tibi Stephanoma honoris, Magnus PROTOMARTYR,
D. STEPHANUS,
Cujus Ecclesiam auspicatissimè regendam suscepisti.
Sumpsisti jam ab illo Heroicos Spiritus,
Cùm eximius Ecclesiastes, Divinioris Suadæ oracula promis.
Quidni Præses Subselliorum Justitia, Tibi novam Lauream paret;
dum Canonicè faciens, docens, vivens;
in funiculis charitatis, Omnes complectens:
Omnium Legum Medullam exequaris.
Ergo, obligatione Honoris Vestri, auspicatò ad effectum deductâ.
mille plausus & Pæana Astræa Virgo excitat.
Et quæ olim terras reliquerat,
ad augendam Triumphi Vestri Majestatem, iterum descendit.
Io triumphe! Io pæan! lætabundus occinit Apollo.
Inter gratulantium tripudia, ipsa Coronatrix Vestri,
Alma Mater Vniversitas, Vota ingeminat,
vt, Deliciæ Themidis Sacræ, Nestora vincatis.
Excelsum Honoris fastigium, quod fausto passu conscendistis,
amplioribus S. Mater Ecclesia coronet, honorum incrementis.
Ducite palmares dies Doctores Clarissimi,
Selectissimæ mentes Vestræ, Oraculis Juris,
perennem in Amplissima Diœcesi mereantur adoream.
In altissimis Subsellijs Consi, & Aristides, pro Corona Justitiæ,
quam Vobis reddet JUSTUS JUDEX, feliciter certate.